Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25959
Copyright: Admont, Benediktinerstift

concepit. male suauiter delectando fouere in se ac nutrire appetit.
Quale uero animę periculum ita exiens subeat. lectio euangelica congruo mox or
dine commemorat. Ecce inquit qui mollibus uestiuntur in domibus regum sunt.
Hoc loco regum nomine. male dominantes uiciorum potestates debemus acci
pere. Quicunque enim carnalibus desideriis dediti. delectationibus suis nequaquam
uolunt reniti. hi nimirum non unum sed plures in se male dominantes habent
reges. quia procerto serui sunt tot dominorum. quot in se regnare permittunt
iura uiciorum. Notandum uero quod conuenienti ordine. tres exitus exprimuntur
in hac euangelica lectione. Primus siquidem exitus fit cogitando. sequens
uero delectando. tercius autem operando. quemadmodum sequitur. Sed quid ex
istis uidere. prophetam. Etiam. Dico uobis. et plusquam prophetam. Cum enim ta
li modo ut prediximus. miserabiliter homo cogitationibus exierit et delectati
onibus. fit plerumque ut deterius tercia uice rursus exeat. id est ut illicita per
petrare operibus incipiat. que mala prius consuetudine cogitando et de
lectando secreto cordis loco uoluebat. Sed saluandus quisque dum in se
reuersus semetipsum attendere incipit. fit non solum propheta. sed etiam plus
quam propheta. Propheta namque fit. cum mala future dampnationis que pro perpe
tratis praue actionis operibus subire debeat. flebili cordis oculo preui
dendo sibimetipsi prophetat. Tunc uero quasi plusquam propheta fit. dum
iudicium dei preueniendo per districtam satisfactionem ipse per se hoc in
presenti punit. pro quo in futuro examine puniendum se esse recognos
cit. Sic sic dum exitiales exitus suos hoc modo in se quisque recognoscit.
et crebra lamentatione plangit. quod ita misere et miserabiliter cogi
tando. delectando. et operando exierit. fit profecto quod euangelista
subdidit. Hic est enim de quo scriptum est. Ecce mitto angelum meum ante
faciem tuam. qui preparabit uiam tuam ante te. Hoc loco nomine angeli.
dulcedo spiritalis gratię apte ualet figurari. Per faciem uero qua homo quili
bet agnoscitur. recte noticia dei accipitur. Angelus ergo ante faciem hominis
mittitur. quia cum spiritalis gratia suauiter cor hominis uisitando preuene
rit. tunc ueraciter et se et deum cognoscere poterit. Preparat etiam uiam